

Melibœus

Tītyre, tū, patulæ recubāns sub tegmine fāgī,
silvestrem tenuī Mūsam meditāris avēnā ;
nōs patriæ finīs et dulcia linquimus arva.
4 Nōs patriam fugimus ; tū, Tītyre, lentus in umbrā,
fōrmōsam resonāre docēs Amaryllida silvās.

Tītyrus

Ō Melibœe, deus nōbīs hæc ōtia fēcit.
Namque erit ille mihi semper deus ; illius āram
8 sæpe tener, nostrīs ab ovīlibus, imbuet agnus.
Ille meās errāre bovēs, ut cernis, et ipsum
lūdere quæ vellem calamō permīsit agrestī.

Melibœus

Nōn equidem invidēō ; mīror magis : undique tōtīs
12 usque adeō turbātur agrīs. Ēn ipse capellās
prōtinus æger agō ; hanc etiam vix, Tītyre, dūcō.
Hīc inter dēnsās corylōs modo namque gemellōs,
spem gregis, ā ! silice in nūdā cōnīxa reliquit.
16 Sæpe malum hoc nōbīs — sī mēns nōn læva fuisset ! —
dē cælō, tāctās meminī prædicere quercūs.
Sed tamen, iste deus quī sit dā, Tītyre, nōbīs.

Tītyrus

Urbem quam dīcunt « Rōmam », Melibœē, putāvī,
20 stultus ego, huic nostræ similem, cui sæpe solēmus,
pāstōrēs, ovium tenerōs dēpellere fētūs.
Sīc canibus catulōs similēs, sīc mātribus hādōs
nōram, sīc parvīs compōnere magna solēbam.
24 Vērūm hæc tantum, aliās inter, caput extulit urbēs
quantum lenta solent inter vīburna cupressī.

Melibœus

Et quæ tanta fuit Rōmam tibi causa videndī ?

Tītyrus

28 Lībertās — quæ sēra tamen respexit inertem,
candidior postquam tondentī barba cadēbat :
respexit tamen et, longō post tempore, vēnit
— postquam nōs Amaryllis habet, Galatēa relīquit.
Namque — fatēbor enim — dum mē Galatēa tenēbat,
32 nec spēs lībertātis erat, nec cūra pecūlī.
Quamvīs multa meīs exīret victima sæptīs,
pinguis et ingrātæ, premerētur cāseus urbī,
nōn umquam gravis ære, domum mihi dextra redībat.

Melibœus

36 Mīrābar quid mæsta deōs, Amaryllī, vocārēs,
cuī pendēre suā paterēris in arbore pōma.
Tītyrus hinc aberat. Ipsæ tē, Tītyre, pīnūs,
ipsī tē fontēs, ipsa hæc arbusta vocābant.

Tītyrus

40 Quid facerem ? Neque servitiō mē exīre licēbat,
nec tam præsentīs alibī cognōscere dīvōs.
Hic illum vīdī juvenem, Melibœe, quotannīs
bis sēnōs cuī nostra diēs altāria fūmant ;
44 hic mihi respōnsum prīmus dedit ille petentī :
« Pāscite ut ante bovēs, puerī ; submittite taurōs. »

Melibœus

Fortūnāte senex, ergō tua rūra manēbunt
et tibi magna satis — quamvīs lapis omnia nūdus,
48 līmōsōque palūs obdūcat pāscua juncō.
Nōn īnsuēta gravīs temptābunt pābula fētās,
nec mala vīcīnī pecoris contāgia lædent.
Fortūnāte senex, hīc inter flūmina nōta,
52 et fontīs sacrōs, frīgus captābis opācum ;
hinc tibi, quæ semper, vīcīnō ab līmite, sæpēs
— Hyblæīs apibus flōrem dēpāsta salictī —
sæpe levī somnum suādēbit inīre susurrō ;

56 hinc, altā sub rūpe, canet frondātor ad aurās,
nec tamen intereā raucae — tua cūra — palumbēs,
nec gemere āeriā cessābit turtur ab ulmō.

Tītyrus

Ante, levēs ergō pāscentur in æthere cervī,
60 et freta dēstituent nūdōs in lītore piscēs,
ante, pererrātīs ambōrum fīnibus, exsul
aut Ararim Parthus bibet, aut Germānia Tigrim,
quam nostrō illius lābātur pectore vultus.

Melibœus

64 At nōs hinc, aliī sitientīs ībimus Afrōs ;
pars Scythiam, et rapidum crētæ veniēmus Oaxen,
et penitus tōtō dīvīsōs orbe Britannōs.
Ēn umquam patriōs, longō post tempore, fīnīs,
68 pauperis et tugurī congestum cæspite culmen ;
post aliquot, mea rēgna vidēns, mīrābor aristās ?
Impius, hęc tam culta novālia mīles habēbit ;
barbarus hās segetēs. Ēn quō discordia cīvīs
72 prōdūxit miserōs ; hīs nōs cōnsēvimus agrōs !
Īnsere nunc, Melibœe, pirōs, pōne ōrdine vītīs.
Īte meæ, fēlix quondam pecus — īte capellæ.
Nōn ego vōs posthāc, viridī prōjectus in antrō,
76 dūmōsā pendēre procul dē rūpe vidēbō ;
carmina nūlla canam ; nōn mē pāscente, capellæ,
flōrentem cytisum, et salicēs carpētis amārās.

Tītyrus

Hīc, tamen hanc mēcum poterās requiēscere noctem,
80 fronde super viridī. Sunt nōbīs mītia pōma,
castaneæ mollēs, et pressī cōpia lactis ;
et jam, summa procul vīllārum culmina fūmant,
mājōrēsque cadunt, altīs dē montibus, umbræ.